Ossędowski Stanislai: Quaestio de iuramento calumniae.

QVÆSTIO
DE
IVRAMENTO CALVMNIÆ,

A

M. STANISLAO OSSEDOWSKI.
S. Th. & I. V. Doctore & Professore, Protonot: Apostolico, Ecclesiæ Collegiatæ Crac: Sanctorum Omnium Custode.


Pro loco inter DOCTORES
INFACVLTATE IVRIDICA,
Almæ Vniuersitatis
ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.
Obtinendo.
Publicè ad disputandum in Lectorio D.D.
IVRECONSVLTORVM.
Proposita.

Anno Domini M. DC LVII. Die 18. Mensis Decemb:

CRACOVIÆ
In Officina Viduæ LVCÆ KVPISZ. S.R.M. Typ.

IN STEMMA
Perilluſtris: & Reuerēdiſſimi Dñi.

N. D. E. L. A. C. D.S.S. A. D.



O. O. N. S. C. P. O. C.

Pulchræ, Veris, opes, quid nobis LILIA præſtant?
　Candida, ſunt oculis, LILIA grata nimis.
Ambroſios latè diffundunt, LILIA odores.
　Candida ſi fuerint, LILIA grata nimis.
Myſtes Natus es Illuſtris ſub ſydere fauſto.
　LILIA, Stemma tuum, LILIA grata nimis
Delicium es Suadæ Themidis, Probitatis auitæ
　LILIA OBORSCI geris, LILIA grata nimis.
Stemma tuum felix, tu Candida LILIA geſtas,
　Candidus es totus, LILIA grata nimis.

Per

Perillustri & Reuerendißimo DOMINO

D. NICOLAO OBORSKI.

I.V.D. Episcopo Laodicen: Nominato, Suffraganeo, & Archidiacono Crac. Cantori Posnaniensi, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cracouiæ Decano, ac interim Sede vacante, Episcopatus Cracouien: Generali Administratori.

D. ET PATRONO COLENDISSIMO.

M. STANISLAVS OSSEDOWSKI. S. Th. & I.V.D. & Professor, Protonotarius Apostolicus, ac Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Custos.

Salutem & perennem felicitatem precatur.

Diuersis cogitationum agitabar fluctibus, Perillustris & Reuerendißime Dñe, Sub cuius augusto nomine, & omine, Quæstionem Iuridicam in publicam producerem lucem: dũ pendeo animi: Tu Perillustris, & Reuerendissime Dñe, non secus, atq; nouum quoddam sydus, suauissimè mihi illuxisti. Protinùs enim arripui auspicia, indubitata felicitatis sumpsi argumẽta, cum TE post occasũ Rndmi Petri GEMBICII, *Magni Episcopi, & Senatoris de Ecclesia & Republica*

optime meriti, velut luminare emersisse, & in Hemisphærio Diœcesis Cracouien: clarissime resplenduisse animaduerti. Administras prudentissime laboriosam Episcopatus Cracouien: Prouinciam, subministras omnibus amabilem benignitatis Tuæ lucem, eximia clares pietate, insuper admirabili in grauissimis negotiis polles iudicio, & Sapientiâ. Præclara, hæc & insignia dignitatis ac munerum Tuorum quis non videat? quis non stupeat ornamenta? quæ calamo exprimere, & singula numerare esset operosum. Illud tamen neq; tacendum, neq; prætereundum esse duxi, Illustr: & Rndmam Dnaõem in Inclyta Nostra vniuersitate Crac: tam in omni genere Artium, quàm in Philosophia insignes instituisse progressus, in illa autẽ luce orbis terrarum, & arce omnium gentium Vrbe Romanâ sedulam Theologiæ nauâsse operam, & Doctoralem in vtroq; jure lauream magno cum applausu, Eruditissimorum recepisse. Age verò, insignia honorum Tuorum decora, & illustrissimũ, in Ecclesia Dei meritorum splendorem, delectat intueri, iuuatq; per lineamenta virtutum, quibus egregiè excellis, auidis luminibus peregrinari, Non enim ad Sublimes in Ecclesia Dei honores, temerario & præcipiti saltu euolâsti, nisi priùs non indigna Pontificiâ Maiestate virtutum, specimina præbueris. Atq; hic occurrit admirabilis virtutum Tuarum cinnus, qui tantam in animis omnium parit gratiam, vt etiam exteri, & ignoti, auditâ OBORSCIORVM Pietate. Te Perillustr: & Reuerendissimè Dne. & amore prosequantur, & venerentur. Quis enim raras illas virtutes, Tibi autem familiares, Mansuetudinem, Modestiam, & Beneficam in omnes, voluntatem, non admiretur? quis Comitatem, Affabilitatem, & Munificentiam in iuuandis egenis, magnificâ laudum non celebrabit apotheosi? quis indefeßum in promouẽdo cultu Diuino studium, vigilantiam in obeundis Ecclesiasticis officiis, candorẽ ipsum, hoc vitiato sæculo, rarum, amore non prosequatur?

non

non exosculetur? Expressisti, vel dicam veriùs, superâsti in hac praeclarâ muneris tui administratione Mystagogos, effinxisti laudabilem Antecessorum Tuorum vitam, Viuam & spirantem imaginem Perillustr: & Reuerendissimi THOMAE OBORSKI, *Episcopi Laodicensis, Suffraganei, & Canonici Crac: Patrui Tui, omni aeuo, memorabilis, cunctis praebuisti, cuius quidem praeclara in Ecclesiam promer ta abundè loquitur. Epitaphium ad aram Crucis, in Ecclesia Cath. Crac. erectum. Incedis tritâ optimorum Antistitum viâ, tenes regulam Piissimi Patrui semel apprehensam, quam conseruas, & ad hanc, omnem vitam Tuam, exaequas. Sixtus Senensis lib. 4. refert de S. Thoma Aquinate:* Ita Sapientissimo Augustino proximus incessit, vt ex communi doctissimorum Virorum adagio iactitatum sit: Augustini animam quasi migrâsse in Thomam. *Dicam ego, si licuerit sacros Mystagogos, Diuinis adiungere Doctoribus: ita Integerrimo Patruo, proximus incedis, vt communis, omniũ, de virtute, scribẽtium, sermo sit* THOMAE OBORSCII *animam, quasi migrâsse in Nicolaum. Boleslaus 3. Kriuoustus Rex Poloniae Patris memoriam gestabat in aureâ laminâ, cui erat Patris inscripta effigies, vt quicquid faceret, quasi inspiciente coràm, & exaudiente Patre. Non in aureâ laminâ, sed in animo integritatis, Sanctimoniae, aliarũq; virtutũ passim Patrui imaginẽ geris Perillustr: & Rndme Dne vt iam ab omnibus.* Exemplar Sacerdotum, Pater pauperum, Vir misericordiae, & Fautor Academicorum *appelleris Mitto alia. Viue itaq; longissimos annos Perillustr: & Reuerendissime Dñe. ad ornamentum Ecclesiae Reipublicae, Familiae, & Academiae nostrae. Hanc verò Quaestionem meam Iuridicam, sereno suscipe animo, meq; solito affectu, & beneuolentiâ, quâ multis ab annis foues, complectere. Ego autem vt indignus coràm Deo Exorator, ad Sacratissimos, Beati Ioannis Cantii, Patriarchae nostri, Cineres, Diuinum pro incolumitate Perillustr: & Reuerendissimae Dñaõis Numen semper implorabo.* QVAE-

QVÆSTIO
ex Cap: Cœterùm.
Ext. De Iuramento Calvmniæ iuncta L. Cum & Iudices.
C. De Iuramento, Propter Calvmniam dando.

V. Iuramentum Calumniæ, Litigãtes, coram Iudice cuiusuis instantiæ, ante, vel post Litem contestatam, per se, vel per Procuratorem, quà in foro Ecclesiastico, quà Sæculari, in Causis Ciuilibus, Criminalibus, & Mixtis, præstare; ac de non præstito, post exactum à parte, puniri debeant, necne?

CON.

CONCLVSIO I.

IVramentum Calumniæ, à Litigantibus coram Iudice cuiusuis instantiæ, ante Litis contestationem, aut etiam Lite contestatâ, præstari debet.

COROLLARIVM.

1. Per iuramentum Calumniæ, intellige Iusiurandum, quod de bonâ conscientiâ, suæq; quam quisq; opinatur, causæ bonitate, præstatur.

2. Duplex autem est Calumniæ Iuramentum Alterum Extraiudiciale, quod in actibus extraiudicialibus præstatur. Alterum Iudiciale, de quo hic, & est, vel Generale, vel Speciale.

3. Præter Actorem, & Reum, Iudex quoq; olim cogebatur præstare Iuramentum Calumniæ.

4. Non solùm ante, vel post Litem contestatam, verùm quandoq; post Conclusionem in Causa, adeoq; in qualibet litis parte, dictum Calumniæ Iuramentum, est deponendum: communiter tamen, omittitur generale, ad exordium iudicij.

5. Quamuis in prima instantia, iuratum sit de Calumnia, etiam coram Iudice Appellationis, iurandum venit, de eadem, si exigatur.

CON-

CONCLVSIO II.

IVramentum Calumniæ, tàm Actor quàm Reus, quandoq; per se. quandoq; per Procuratores præstare debet.

COROLLARIVM.

1. Cùm Iuramentum Calumniæ, tantum sit de credulitate, & non de veritate, nullus potest conqueri, si ad illud compellatur.

2. Iuramentum Calumniæ: siquidem ad reuocandos, metu religionis, à malitiosa, litium intentatione, litigatores, est introductum, non debet à litigantibus recusari.

3. Actor iurare debet, se non calumniandi animo, litem intentare, sed existimare se iustam causam habere, & fouere, Reus verò tenetur iurare, quod putans bonâ instantiâ, vti ad reluctandum & contradicendum venerit.

4. Si Iudex censuerit, Personis Principalibus potiùs quàm earum Procuratoribus, etiam Speciale mandatum habentibus, Iuramentum Calumniæ deferendum, ipsi Principales, per se illud subire coguntur.

5. Quamuis Principales Personæ, hoc Iuramentum præstiterint: nihilominùs earundem Procuratores, illud etiam suo nomine, & in animam suam requisiti; præstare debent, aliàs si recusauerint, submouendi sunt à prosecutione causæ.

CON-

CONCLVSIO III.

TAm in foro Ecclesiastico, quàm in foro Sæculari, moris est, præstare Calumniæ Iuramentum.

COROLLARIVM.

1. *Iure Ciuili siue apertè petatur, siue non petatur præstari, præstandum erit: nam Iudex illud ex officio iniunget.*

2. *Iure Canonico nî præstari petatur, Iudex illud exigere à partibus non tenetur. Quamuis possit etiam post conclusionem, in causa, deferre, parte etiam non petente.*

3. *Modus præstandi, huius Iuramenti antiquus, digitis duobus, in Cælum erectis, vel tactis Sacrosanctis Scripturis.*

4. *Hodie in foro Sæculari, satis est, si ad acta iuretur, In foro Ecclesiastico obtinuit, praxis ad propositum, Sacrosanctum Euangelij Codicem, iurare.*

5. *Huic Iuramento, affine est Iuramentum Malitiæ, & vtrobiq́ præstari æquum, quoties Iudex censuerit illud exigendum.*

CONCLVSIO IV.

IN omnibus causis, siue sint Ciuiles, siue

Criminales, siue Mixtæ, locum sibi vendicat Calumniæ Iuramentum.

COROLLARIVM.

1. Et hoc valet: siue de Causis Summariè, seu de plano, sine figurâ & strepitu Iudicij, siue Plenariè, & Seruato Iuris ordine, agatur.

2. Siue sint Prophanæ Causæ, siue Spirituales. Quamuis olim, in Causis Spiritualibus, tantùm de veritate dicenda iurabatur, & non de Calumnia.

3. Nec obstat, quod Christus Dominus, apud S. Matth. Cap. 5. docuit, non iurare omninò, locus enim ille intelligi debet, de Iuramento absq; necessitate seu rationabili causa.

4. Adeò hoc Iuramentum Calumniæ est necessariũ, vt si ab alterâ parte exactum fuerit, & omissum ab alterâ: eius omissio vitiet Processum: & sententiam latam reddat nullam.

5. Intelligendum autem est hîc, Iuramentum Calumniæ, non tantùm Verbale, sed etiam Reale, quod aliàs in iure appellatur corporale. Et fit per Crucifixi, Euangelij aut sceptri tactum, vel manus eleuatione &c. potissimum in eo, qui mutus est.

CONCLVSIO V.

NIsi Actor, & Reus, post exactum, à parte, vel Iudice, præstiterint Calumniæ Iura-

men-

mentum, pœnis à iure debent subiici, descriptis.

COROLLARIVM.

1. *Si Actor, sine causâ, hoc Iuramentum, præstare nolit, ab Instantia, & instituta Actione, quasi improbus litigator cadit. Cæterùm, in confessum non sunt aliæ partes Iudicis, quàm in condemnando.*

2. *Hæc pœna, non incurritur ab Actore, vel Reo, nisi Iudicis Sententia mediante. Vndè, tàm Actor, quàm Reus, ante huiusmodi sententiam, à Iudice latam, potest suam purgare contumaciam, pœnamque hanc euitare, præstando Iuramentum Calumniæ, hactenùs omissum.*

3. *Ista pœna, non habet locum, in Causis Spiritualibus, & Benefieialibus: veluti, cum agitur de Decimis, de Iure Patronatus, vel aliquo Beneficio, ne inde detur vitiosus ad talia ingressus.*

4. *In Criminalibus, isti pœnæ non est locus in quibus non semiplena, sed luce meridianâ clariores probationes requiruntur.*

5. *Si ante eiusmodi sententiæ prolationem, moriatur Actor, vel Reus, pœna illa, tanquam nondum commissa (cum neque incurratur ipso iure) non transit ad hæredes eius.*

✠

Sceptra duo pariter nectũtur Crucis instar
Crux Sceptris hæret: Sceptra beata manẽt.



Sub Felicissimis Auspicijs
Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Viri, Domini.

D. M FRANCISCI
ROLINSKI.

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris ac
Professoris, Consulis, & Generalis
Studij Academiæ Cracouiensis
Vigilantissimi,

RECTORIS.